NUPERA QUAEDAM OSCA CUM AUCTAR IN MARM. ANXAN. COMMENTAR...

Raimondo Guarini



Digitized by Google

§. I.

MARMOR OSCO-AGNASIVM SACRVM.

Ad M. fere P. V. ab oppido illustri, quod *Agnone* audit, oppidulum extat, cui nomen satis auspicatum *Pietrabbondante*, in quo insignia adhuc perennant veteris oppidi amplissimi vestigia cum moenium, theatrique reliquiis, quas inter sparsim nummi cum literatis τοῖς κειμηλιοις et prodiere, et prodire in dies festinant. Oppido nomen, nisi me coniectura fallit, *Agnas* fuit Oscis, unde post *Agnone*, ab *agnis*, ut mihi persuasum est, voce derivata. Ab *Agnase*, vel *Agnate*, dicti *Agnasii*, ut ab *Aquino Aquinates*, de quibus infra loco opportuniore ampliandum. Nunc, quod instat, agendum sine mora, et diverticulis.

Haec inter memorati oppiduli rudera nuper effossum marmor oscum de sacrorum genere, quod

Digitized by Google

latum palmo uno, duplo fere in longitudinem protenditur. Lineolis sex omne continetur *συμμετρικῶς* inter sese dispositis cum appositis finalium in medio interpunctionibus, vocibusque singulis per iusta inter se spatia distinctis. Characteres equidem elegantes cum nexibus quibusdam, illorum plane similibus, qui in cippo Osco-abellano, et Pompeiorum adiraniensi in primis titulo, sunt conspicui. Si quid in his usu, experientiaque edocti olfacimus, epigramma romane olet, et ad beatiora Reipublicae tempora referendum. Quae cum ita dicimus, non ita accipi volumus, quasi a romanis haec osci didicerint, quibus contra persuasum est, romanos ab oscis, caeterisque populis, utpote antiquioribus, pleraque sua hausisse: sed osci tantum epigrammatis cum sententiam, tum sententiae tenorem, breviloquentiamque commendare, fuit animus. Sed praeloquiorum satis. Titulus sic habet:

ꓤI√√VƧ · ƎƆƎИ
T · ИИ · ꓷT · ƧI
ꓤƎꓤꓘИƧ · ꓘꓘƎ
ꓤƆV8 · ИИV√ꓘ
ЯVИꓤI
ЯƎ8ꓤЯꓘИ

Singula nunc *κατα στοιχεῖον*, more nostro, expendamus.

1. NEVE. Breviate pro *Neveiz*, et si velis, redde *Nevius*, quod tene pro primo viri nomine. Alterum est

2. SVLLIAIZ. Habeo pro *Sullius*, vel *Sollius*, quod osci *o* carebant. *Sollia* porro gens, quae nunc primum oscae se prodit originis, passim obviat in Grutero. Oscorum nomina, ut saepe adnotatum, pleraque in *iz* exeunt. *Adiranz* ergo, qui *Adiranius*, marmoris Osco-pompeiani paullum ab hac regula deflectit (1).

3. TR. M.T. Ad vocem breviatam TR. non est, ut de *Tribuno* cogitemus. *Tribunus militum*, quod me olim fugit, occurrit in marmore Adiraniano in voce *Triibum*, quae sic dividenda: *Triibu. M.* quod fortasse insinuatum per punctum interpositum cruribus literae V. Ad rem praesentem quod attinet, TR. est sine dubio *ter*, et M. T. *Medd. Toutix*. Nevius idcirco Sollius ter *Meddix Agnasiorum Toutixz* processit, ex quo, si caetera deforent, pervetusti oppidi nobilitas commendatur, quod in sequentibus Maruccinorum primariis fuisse accensendum, constabit.

4. EKK. Integre in Cippo *Osco-abellano*: EKKVM, *ecce*, vel *heic*. Apage igitur a voce hac *Cuma* illa, quam sibi videre visi sunt quidam, qui hu-

---

(1) Vid. Comm. XI. pag. 11. et seq.

Digitized by Google

mane inter homines versari dedignantes, vagari soli per nubes amant.

5. ZAKARAKLVM. *Sacrum*, sive *sacrificium*. Ita prorsus et in cippo *Osco-abellano*, quem si lubet, videsis, ne alibi dicta, et iamdiu tralatitia, hic recoquamus. AR nexu implicantur.

6. FVΣA. *Phuva*. Dele adspirationem: fiet *puva*, idest *buva*=*bove*, et mari utique, quod Deo, non Deae, litatur. *Phuva* igitur, *bos*, oscis fuit generis item communis, ut *ovis*, cum primae tamen declinationis desinentia, quemadmodum latinis est mos. Hac de causa nihil additum, quo *bovis sexus* indicaretur, quod nihil hoc opus erat. Eccui nunc Deo sacrum?

7. IANVD. *Iano* nimirum, quod oscis *Ianud* cum *d* paragogico. Ianus, italorum et Rex, et Deus antiquissimus, testante Sex. Aurel. Victore, *primus, etiam cum Diis aliis sacra fierent, nominabatur*, eique *bove* interdum *mare*, aliquando et *vervece*, fieri consuevit (1). *Agnasiis* igitur suum erat *Iani* templum. Nec audiendi sunt, qui hoc in loco τὸ *phuva* versiculi praecedentis cum *Ianud* sequentis coniungunt, ut unico hiatu *Phuvaianud* legant, quod ipsis in Bovianum evaderet. Nam primo *Bovianum* cum *B* effertur, qua

(1) Vid. Fr. Arv. pag. 366.

Digitized by Google

litera non carebant osci. Deinde arbitrarie omnino, nulla non cogente inquam, sed ne probabili quidem ratione, altera vox cum altera ferruminatur. Fac enim, *Bovianum* hic insinuari. Quaenam epigrammatis constaret sententia? Nevium nempe Sollium, qui Agnasiorum tertio, vel ter salutatur Meddix Touticus, Boviano sacrum fecisse. Atqui Agnasii Boviano distabant M. P. XVIII. eoque amplius. *Genio* praeterea oppidorum divinos praebitos honores, nemo ignorat; oppidis ipsis, quoad memini, hactenus nescio.

8. AKDAFED. *Acdafed*. Tertia singularis praeter. indic. desinentia archaica, ut veterum latinorum *deded*, et oscorum *amanaffed*=*fecit*. Vox lithurgica, quae latinis fuit *dedit*. Ad literam est: *addidit*. Vox composita ex particula *ac*, et *dafo*, vel *davo*=*do*. Sic vulgo: *ti davo*=*tibi do*. Quo magis mihi plaudo, quod in obsoletis huiusmodi rimandis dialectis humana humane tractans, vernaculis potissimum, neglectisque vocibus et pressius, et acrius mihi insistendum iam diu constitui. Haec igitur osci nostri epigrammatis, et quidem κατα τὸ ρηθον, sententia omnis:

Digitized by Google

NEVIVS. SOLLI
VS. TER. M. T
HEIC. SA
CRVM. BOVE
IANO
DEDIT

Agnonem, ut nunc vocant, in Molisii provincia, mihi certum fere est, sic dictum ab *agnis*, ut et inaudita hactenus *Agnas*, cuius reliquiae haud procul ab eo dissitae. Qui igitur Aquiloniam in oppido agnonensi quaerunt, frustra sunt, cum Aquiloniae aliunde quaerenda derivatio sit procul dubio, quam ab *agnis*. Aquiloniam praeterea in Hirpinorum regione stetisse, Plinius cum Ptolemaeo disertissime testantur. Plinii verba haec sunt (1): *intus in secunda regione Hirpinorum colonia Beneventum... Aeculani, Aquilonia, Abellinates*. Et Ptolemaeus (2): Ιρπινων πολεις Ακουλωνια, Αβελλινον, Αικουλανον. *Hirpinorum Civitates, Aquilonia, Abellinum, Aeculanum.* Aquiloniam idcirco eo constitisse, vulgo statuitur, ubi nunc *Carbonaria*, et *Mons viridis*. Testimoniis adeo luculentis nemo refragari ausus. At *Agnonem*, reponunt, *Aquiloniam* alteram extitisse ab

(1) Lib. III. Cap. XI.
(2) Lib. III.

Aquilonia Hirpinorum cognomine. Verum unde id probant? Quod nempe *Agnonem* autumant nomine suo *Aquiloniam* prae se ferre: quod nihil aliud est, quam probare idem per idem, seu mera principii petitio, ut Dialectici aiunt. Alia igitur proferenda sunt argumenta, si id evincere est animus.

§. II.

AES OSCO-AGINIENSE PASCVARIVM.

Rapini, Aprutii citerioris oppiduli, ingentes inter ruinas, quae *Civitatausa*, vel *tansa* vulgo audiunt, tabella aenea literata nuper detecta, quam pretio erogato, sui iuris fecit vir splendidus, Ignatius de Cicco, domo Rapino. Ruinae, de quibus memoratum, vetus prae se ferunt, amplumque sepulcretum, in quo oscorum numismatum cum graecis duobus neapolitanis seges demessa locupletissima a V.C.Carolo Riccio. Aes nostrum in sepulcro quodam latitabat, quod *Popedii* cuiusdam fuisse videtur. An hic *Popediorum Silonum* agnatus, quorum in bello Italico fama numquam peritura? *Agnatum* dico, nam aes arbitror bello Italico paullo antiquius. Lemma utrumque, nisi certissimum, veri speciem habet sine dubitatione simillimam. Cur in Popedii sarcophago haec re-

Digitized by Google

condita aenea lamina, loco dicetur opportuniore. Nunc illud notandum, quod cuique facile in mentem veniat: haud longe a sepulcreto oppidum Maruccinorum insigne extitisse, quod ex aere ipso *Aginiam*, vel aliud huius simile, ab oscis olim nuncupatum, illudque, fato Herculani nostri communi, adhuc opertum latitare. Quanti demum staret, illud e tenebris ad dias revocare luminis auras? Sed haec somniantium deliramenta mera. Age, quod nostra interest, in viam e diverticulo redeamus. Aeris exemplar diligenter exceptum, more suo, ad nos detulit saepe collaudatus Ambrosius Carabba, in quod haec notanda.

A laeva dextrorsum progreditur, ut tabula lucana oppidensis de *re macellaria* (1). Characterum caelatura levis admodum, ac fere umbratilis, qui tamen romanis proxime accedunt. Notanda forma τῆς G, quae huiusmodi: ᑕ. Insertam quoque incurris literam O, quae oscis deerat, in hanc speciem ◇; et A denique /\. Vocum multarum vix unae supersunt lineolae verticales, nec integrae omnes, ex quibus nil certum statui potest de ὑλικῃ vocis ipsius integratione, etsi de sententia, ac potestate valde probabiliter constet. Tabellae uncus superne adhaeret, quo suspendi eam opor-

(1) Vid. R. G. in *Com. suum* V. *excurs. critic.* an. 1841.

Digitized by Google

tuit. Quod illius aetatem spectat, mature perpensis omnibus, quae de ea hactenus sunt commemorata, palmarium videtur, ipsam ad ea Samnitium tempora fore reiiciendam, in quibus oscorum dialectus in romanam sensim sine sensu immeabat, ac veluti fundebatur. Vocum fundus graecam, latinamve prae se fert originationem. Nonnullae ὑλικῶς aut graecae, aut romanae. Quae omnia si cum iis sine invidia conferantur, quae alias hanc in rem sunt a nobis accurate congesta; si in veterum denique monumentis id perspicere sit propositum, quod revera continent, non quod ex praeiudicata iam opinione contendimus: qui oscum posthac sermonem a romano idiomate sola dialecto distare, obdurate ambigat, quid porro huic certum in his, ratumque esse queat, minime videmus. Nec enim in talibus singularia sunt sectanda, quaeque, ut dicitur, extra solis, terraeque vias sunt posita, in penitioris eruditionis ambitionem; sed quae vera, aut veri saltem quam similia videntur. Aes omne Rapinense duodecim continetur lineis, quas heic exhibemus ex duplici eiusdem ad nos perlato exemplari, cuius autographum minime fore desperamus, ut aliquando noscamus de facie, si perduret Societas nostra a domino postulare. Ecce nunc illud παχιτέρῶς, ut potuimus, deformatum characterum formis communibus, a

Digitized by Google

quibus hi nostri parum abeunt. Forma E nunquam in aere nostro comparet, quae tamen saepissime insinuatur duplici I, more archaico.

AISOS PACRIS TOTAI
MAROVCAI LI+S
AGNASII II...R.NT.
AVIATAS TOVTAI
MAROVCAI OVIIS
PATRIIS OCRIIS TARIM
CRISI OVIAS AGINII
AI CII.VCAGINII ASVM
BARV IOLIINIS IIIIRINT
RIIGIIA PIOINII IOVIA
PAR IIITVAMAM ATIINA
SVIINAI...TAI....POPIID

VAM

Curvarum nullus usus in characterum formis, adeoque pro C lineolas binas in angulum coeuntes sinistrorsum videas sic ‹; vel dextrorsum sic ›, si de literae P complemento agatur. Quae etsi minutiora, praetereunda tamen non erant in eorum gratiam, quorum haec aliquando interesse queant.

Antequam in singula ad instituti nostri rationem inquiramus, monendus est lector, agi in aere de pascuaria controversia *Agnasios* inter ex una parte, ex altera *Aginienses*, quibus adiuncti *Vcaginienses*, qui fortasse *Vicaginienses*, quasi

Digitized by Google

Aginiensium vicani. Vtrumque sane oppidum hactenus ignotum, sed amplissimum sine dubio, utpote quibus Maruccinorum regionis omnis fines continebantur. *Agnas*, si recte collineant, quae supra coniecimus, eo stetit, quo nunc *Pietrabbondante* V. P. M. ab oppido agnonensi. *Aginium* vero prope *Rapinum*, ubi nunc *Civitatausa*, vel *Civitatansa* XXX. P. M. plus minus ab *Agnate*. *Aginium* ita dictum videri queat *ἀπο τῶν αἰγων*, ut *Aginienses* idem sonent, ac *Caprasii*. Hinc *αἴγειος*, *caprarius*. Nam et *Bovianum* a *bobus*, et *Aquiloniam* ab *aquilis*, et *Abellinum* ab *abellis* suam mutuari denominationem, evidens fere est. Quod me nunc monet, ut *Aeculanum*, missis originationibus aliis, quibus aliquando paullo otiosius indulsi, ab *equo* repetam. Sed nolo in his nimius esse, quae parce delibata, salivam ciere, intemperanter tractata, stomachum facere queant. Utrisque a tergo montes continui, de quibus pro iure pabulandi orta controversia, cui Agnasii videntur praebuisse occasionem. Causa Romae acta, ut aequum erat, Senatusque decreto, Aginiensibus, et Vcaginiensibus adiudicata, Popedii cura. Inde ex autographo decretum Senatus descriptum, aerique commendatum, Aginii propalam fixum. Ex hoc priore exemplari alterum exceptum censeo, quo de agitur, aerique item insculptum, Popedio de-

Digitized by Google

functo, in eiusdem honorem cum eo veluti consepultum. Nec enim aliam video probabilem rationem, qua intelligi queat, eccur in Popedii conditorio hoc reconditum aes fuerit. Nunc singula percurramus.

Aisos pacris. Πρὸτον τὸ φως ἐκ 'Ελλαδος. Nam prima vox mere graeca, estque *iniquus*, *iniustus*. Ergo *aisos pacris=iniusta pabulatio*. Siquidem *pacris*, quasi *paclis*, quod latinis *pascuum*, cum *παω* graecis sit *pasco*.

Totai Maroucai lits. Primas voces duas habeo pro tertio casu cum archaica terminatione ad priorem, ut sit: *toti Maruciae*, idest universae Maruccinorum regioni. *Lits*, quae latinis per metathesin primo *stlis*, deinde per apocopen *lis*. Sensus est: *iniusta pascua Maruccinis omnibus* litium, turbarumque occasio, quae ut praecidantur;

Agnasu.u.r.nt... Posterior haec vox verbi sine cunctatione vim habet in imperandi potestatem. Sed de hac voce paullo infra accuratius.

Aviatas totai Maroucai oviis. *Aviatas* facile adverbium cum desinentia in *as*, ut *alias*, *foras*. Deduxerim ab *avia*, ut *avitus* ab *avo*, reddiderimque *avito iure*, seu *more*. *Oviis* est *oves*, nec pro voce hac Semitica sollicitanda sunt vocabularia.

Patriis ocriis tarim crisi. Prima vox la-

Digitized by Google

tina omnis, graeca altera, quae *ὀκρις=iugum*, *summitas*. *Tarim* pro *monte* accepimus, fortasse a desueto *ταῶ*, *protendo*, unde *ταρος=celer*. De voce *crisi* puerile est quaerere. Periocham omnem sic exposuimus: *patriis iugis montis aurei*, caetera nihil solliciti. Cum ecce Carabba noster haec nobis ex Vghellio attulit: *Tarinum* nominitatum montem hunc in insula Piscariae anno etiam 1166, constare ex Bulla Alexandri III. Rom. Pont., qui montis ditionem confirmat Abbati *Casaureae*, sic dictae a monte hoc, in quo revera auri innotuere fodinae ad Suevorum usque tempora. Idemque demum confirmari ex Bulla S. Petri Caelestini ad an. 1191., qua idibus Iunii asserit iterum monasterii Abbati *montem de Tarino cum rupibus*, *et silvis eorum*. Et de *Agnasiis* hactenus Senatus romani decreto consultum. Quod sequitur, *Aginienses* cum *Vicoaginiensibus* attinet. Itaque

Ovias Aginiaei, ac Vcaginiaei asum. Post vocem *Aginiaei*, sic: CII. An pro graecorum *καὶ*, *ac*, *atque?*

Asum. Forte quasi *adsimul*, unde, nostrum *assieme*, quod romanis *insimul*, ex quo vernaculum *insieme*.

Baru, vel *Bapu* (in auferendi quippe casum) ut in posteriore exemplari, cuius vocis utrum ve-

Digitized by Google

stigium aliquod adhuc apud indigenas supersit, prorsus ignoro. Videtur montis nomen, qui *Barus* olim, vel *Bapus*.

Ioliinis nil vetat, quin pro *Iulianis* habeamus.

Riigiia. De *basilica* cogitarim, in qua de causa hac pascuaria cognitum, actumque sit, quae oscis *basilica* fuerit, et *Regea* dicta. Sed quaenam haec fuerit, ex biga vocum insequentium, de quibus non liquet, extundere nescierim. Nam etsi *Iovia* facile concilietur cum *regea*, quid interim facies παρεντιθεμενη *Pioinii*, vel si mavis, *Pioine?*

IIII*rint*. Vox haec postrema vim, terminationemque verbi praebet sine controversia, et quidem in *habendi*, *continendive* significationem, sed a quo themate ducendi, hariolari non ausim. Quamquam ecquid ultra dissimulem, verecundiaeque speciem praetendam, qui semel pudorem exui? Priores duas lineas II habeo pro E mera, et pro duabus reliquis substituam *ge*, quae cum RINT finali coacervatae in scenam proferent EGERINT. Idemque factum statuo pro voce mutila v. 3. de qua paullo supra memini.

Par eituamam Atenavam. Reddo: *ad aedem ipsam iuxta Minervam*. Quandoquidem vocem *eituamam* bifariam dividendam reor sic: *eituam*= *aedem*, et *am*=*eam*, *ipsam*. Eccui enim latet cascum *im* pro *eum*?

Suina... tan..... Poped. Priores duae voces omnino corruptae, profligataeque, quas recudendas puto in *Senateis tanginud*, Senatus nempe decreto, Popedii curis impetrato. Haec igitur integra fere totius aeris sententia latino habitu, incessuque procedens:

Iniqua pascua totius
Maruciae Quaestio (1).
Agnasii agunto,
Avito more totius
Marouciae, *oves*
Patriis in iugis montis
Crysi. Oves Aginiaei, *et Vcagi-*
niaei simul
In Bari Iulianis (2) *agunto.*
In Basilica .... Iovia
Iuxta Aedem ad Minervam,
Senatus decreto. Popedius.

Haec de aere osco-rapinensi satis, quae si cui refellere placeat, per nos licet, et porro licebit. Vrbanum dumtaxat, non intemperantem, fastidiosumque optamus reprehensorem. Quod si literarum fructus iurgia, simultatesque sint, valeant literati illi omnes, quibus multae literae superba

(1) *Litis argumentum.*
(2) Subaudi: *iugis*, *collibus.*

ingenerant fastidia cum illorum odio, quos sibi adversarios praesumunt. De *Popedii* nomine ad aeris finem insculpto ne pigeat adnotare: nullum fortasse huic locum fuisse in altero exemplari, quod romano exceptum ab autographo, palam in municipio prostabat unco suspensum ita, ut legi ab omnibus posset. Multoque minus in autographo ipso locus eidem Popedio esse potuit. Sed additum illud oportuit exemplari alteri a monumenti curatoribus, quo Popedii in patriam beneficii tam insignis, tantaeque utilitatis commendaretur memoria. Adeo interest, veterum τῶν κειμηλιων singula, quoad fieri potest, in numerato habere, quibus ignoratis, quaedam παραδοξα, καὶ τὰ ἀῤῥητα videri queant!

§. II.

IN MARMOR ANXANENSE PRO COMM. XIII.

De marmore hoc nobilissimo, suique generis sine haesitatione vetustissimo, repetitis iam curis per nos actum, praecipue in Comm. XIII. in quo multi fuimus pro tuenda illius ἀυθεντια, quam in dubium revocare nonnulli conati sunt. Quae omnia, ne actum agamus, heic missa facimus, unum contenti marmoris τὸ αντιγραφον accuratius exceptum ab Ambrosio Carabba lectorum oculis

Digitized by Google

subiicere. Quo semel inspecto, sive characterum formae antiquissimae perpendantur, sive voces aliis aliae sine discrimine adglomeratae, quarum nonnullas frustra in lexicis requiras; sive veterum oppidorum, pagorumque nomina cum frentanorum fluminibus δορικῶς elata; sive marmoris non integri deminutae fortuito laciniae, qua dextrorsum, qua sinistrorsum; sive demum res ipsa titulo subiecta plane singularis, quae est de sacro quodam Aboriginum, graecorumque foedere per sexaginta fere M. P. inter sese continuatorum: qui adhuc perduret, confictum illud contendere ab homine quodam, cuius nomini parcitur, et a quo minus hoc impetrabile fuisset, quam aquam, ut aiunt, e pumice postulare; huic nihil certum posthac, ratumque futurum, arbitramur. Nec porro res est de uno, alterove nummo, quod facile veterator quivis conflare, et imperitis per fucum obtrudere, queat; sed de titulo lineis ad minus quatuordecim αρχαϊκῶς decurrente, cuius partes singulae lectorem vel nasutissimum morentur; sententiaque porro omnis rite intellecta, cum sibi consentanea, tum gravissima, temporibusque suis plane adcomodata perspicitur. Nam ad eius aetatem quod attinet, qui eam olim ad belli socialis tempora reieceramus, mutato nunc consilio, ad graecorum vetustiores in oras Hadriatici sinus incursio-

Digitized by Google

nes referimus. De Pelasgis certe refert Halicarnassensis, postquam Hadriaticum sinum pervasere, in interiora sese paullatim insinuasse, Cotiliamque, Tioram, Batiam, Lictamque urbes aedificasse. Sed lapidis anxaniensis historiolam praestet per summa capita recensere.

Seculi huius initio detectus ille fuit immanes inter ruderum aggestus, qui se *Anxani*, oppidi pervetusti, nunc *Lanciano*, conspicuos se dant. Longus palm. duos, latus palmos item duos ultra uncias duas, quo nescio casu, bifariam diffractus. Quod novitate sua cunctorum animos perculerat, publico gaudio exceptum, membranisque chartaceis primo expressum, aere deinde insculpendum curavit Nicolaus de Cecco. Hoc minime contenti cives anxanenses αὐτογραφον ipsum Neapolim traduxere, iudicium de eo praestolaturi Societatis nostrae Borbonicae, auspice Iosepho Zurlo, qui ea tempestate ab interioribus regni negotiis erat. De re quód nihil certi pronuntiatum, marmor idcirco ad patrios lares revocatum, nunc penes Michalem de Georgio caute adservatur. Eius exemplar primus ad nos transmisit vir quondam amicissimus, Ianuarius Ravizza, quod et ipsi aere incidendum curavimus, et in paucis paullo accuratius, quam quod primitus delatum ad nos fuerat; idque Ambrosii Carabbae opera, qui illud rogatu nostro et diligentius excussit, et religiose exscripsit.

Digitized by Google

Dorismum olet quaqua vorsum, interdum *αεολικῶς* decurrit. Spiritus densior nota archaica ┤ designatur, et A pro H passim obviat. Vsurpatur aliquando O pro Ω, et Y pro H. Sed in primis notanda forma Ϊ, quae perperam ante habita pro X, nunc nemini dubium, quin stet pro Z mero. In tironum gratiam, dorismis, atque aeolicismis detersum ipsis heic exhibemus, quod conferant licet cum aere ad finem apposito ad *τοῦ ἀυτογραφου* fidem. Restitutiones nostras ex lineolis interiectis, ubi id fieri potuit, internosces.

Ζευς Ελευθεριος
'Ιερας 'ομονοια (ς) της αλω(μενης)
Ευρων Φρεντανων Συμμα(χων).
Τὸ Βουλη τοῦ Ανσανου, Παλλα(νου),
Ανσαντου, της Βυκιας, Ρουυλαα(ς),
Και Ορτονιας: Τό ζονηον 'Ιστωνιου,
Τοῦ Ατερνου, και Φοραντου, Αειμ..(οι
Παν)τονομοι: Τὸ κοινον της Κλυ(βιας
Και τ)ων Σαραντων Φρεντριαν(και Ρο
τ)ων, Αυδαν, Γιρυλων, Φισ(ιων, Φελ
τραν, και πα)ντυταλιων Τρινιων(και παν
τ)ων Σενηλων, κα(ι Τιλιων, και Ευσανων
Συντεθεικασι. 'Οι)παντες φιλοπατ(ριδες
Ανηραν Βημα

Vncis conclusa nostra sunt, quae quanti quisque volet, faciat.

Sic autem reddimus:

Iupiter Eleutherius.
Sacro foedere inito
Nobilium Frentanor. Commil.
Quod Senatui Anxani, Pallani,
Ansanti, Byciae, Romuleae,
Et Ortoniae: quod Histonio quidquid adiacet, et
Aterni, et Ferenti, et Aeim...
Indigenae omnes: quod communitas Clibes,
Et Sarantorum Frentanorum, (Rotae), *et Audi, Girylis, Phisii,* (Pheltri),
Et omnium Italicensium Triniorum,(et omnium)
Senelorum, et (Tilii, et Eusani accessere.):
Patriae amatores universi
Aram posuere.

Haec nunc tam scite, operoseque conficta a nupero quodam homine? Eccui vero bono tantum operis susceptum onus, quod nec Mazochii humeri, nec alterius fortasse cuiusvis, ferre valeant? Ecquid de marmoris imminutionibus, unde lacunae non paucae, de quarum expletione vix hariolandi locus suppetit? Hae nimirum non temporis iniuria, casuque mere fortuito, sed de industria ab homine ipso in lapidem inductae, antequam ruderibus ingestum telluri alte infoderetur?..

Digitized by Google

Age nunc, quod instat, agamus, lectore hoc unum praemonito: Anxanum ab antiquissimis usque temporibus Amphictyonum Thermopylis aequatum, ubi graiorum coibant civitates de rebus gravissimis deliberaturae.

§. II.

MARMORIS PARTES SINGVLAE EXPENDVNTVR.

1. Ζευς Ελευθεριος. Iovis huius omnia plena, nummi praecipue, tituliqe sacri, quos confer in Corpore inscriptionum, aliisque generis eiusdem consarcinationibus.

2. Ἱερας ὁμονοιας. Gignendi casus absolutus. Αλωμενης. Part. aor. 2. pass. Ab inusitato αλοω, unde αλωμι = *capio*, *suscipio*.

3. Ἑυρῶν Φρεντανων Συμμαχων. Contracte ἑυρων pro ευριων, quod possis etiam interpretrari *late patentium*; nam foederati ad M. fere P.LX. in longum protendebantur.

4. Τὸ Βουλῃ. Particulam τὸ habeo pro causali *quod*, quae latinis in titulis eiusmodi usitatissima. Βουλῃ autem pro tertio casu stat, qui referendus ad verbum συντεθεικασι, vel aliud huiusmodi, quod in fine lacuna importune nobis invidit.

5. Ἀνσανω, Παλλανω. Gignendi casus ambo,

ut et caeteri, qui sequuntur, Δωρων de more, quibus ω est pro οῦ. Nolo in Anxani τῷ ἐτυμῳ inquirendo ineptire, multoque minus pro anxanorum nummis spondere. Templum in eo extitisse, traditur in colle praealto, Apollinique sacrum cum iure asyli. *Anxani* πατρονιμικον *anxanensis*, vel *anxaniensis*, *Anxae* vero, quae nunc *Gallipoli* in Sallentinis, *Anxanus*: unde apud Plinium, discriminis ergo, *Anxani Sallentini*, ab *Anxa* utique nuncupati.

Anxanum continuo excipit *Pallanum*, cuius meminit tabula Peutingeriana. In monte cognomine arx olim munitissima assurgebat, cuius adhuc moenium reticulatorum supersunt vestigia cum ingentibus ruderibus. Distat Anxano M. P. XIII. De Pallani ruinis haec enatarunt titulorum frustula, Carabbae curis collecta, et descripta:

I.

...... IO. M. F
.... APRO
V. an.. NOS. XIIX
Mens. III. D. VIII
Parente. S. *Filio*
Desidera. TISSIMO
B. M. F.

Digitized by Google

2.

VERECVNDVS
ORF.M.X.S

Forte sic sanandus: *Verecundus—Orf.Max. servus.*

3.

C.TITATIO

An *C. Ti. Tatio*, viro duplici praenomine insigni? Quod si velimus, tituli vetustati admodum detrahendum. Sed nil vetat, vocem pro integro nomine accipere.

6. Αγξαντω, τας Βυκιας, Ρομυλααs, και Ορτονιας. *Ansantinos* populos meminit Plinius, eosque Marsis accenset. De oppido ipso Ansanti nihil hactenus scire, datum. Illud notandum: ab *Ansanto ansantinos nuncupatos*.

Βυκιας, quae et *Buca*, et *Buba*, unde *cives Bucani*, hodie *Penna*. Distat ab Histonio M.P.III. Eius rudera, Romanellio testante, adhuc conspicua in maris sinu. Βυκια facile sic dicta a dorico Βοκος, et Βουκος, qui *bubulus*, et *bubulcus.*

Ρομυλααs. Romulea duplex, Hirpinorum una, quae nunc *Bisaccia*, indigna olim a Romanis passa, ut romana docet historia: Frentanorum altera, de qua hic sermo, ab Anxano M.P.IX.

Digitized by Google

quae etiamnum *Roma* audit, cuiusque extant adhucdum vestigia minime aspernanda. Heic nuper detectum sepulcrum affabre extructum cum anaglypho, ubi superne, Parcarum in medio cum Genio alato vir decumbens: hinc munus gladiatorium cum equestre, tum pedestre. Inferne Praeficae cum hominum turba. Ad laevam cadaver feretro impositum. In medio titulus, qui sequitur:

1.

L. NIPIVS. NIPIAI. L. ELEGANS. ET
HOSIDIA. CN. L. CHRESTE. SIBI FECER

Gens *Nipia* nunc primum inauditur. Romuleensium utique praestantissima, cuius et haec altera cietur liberta:

2.

NIP	IAE
SEC	VN
DA	E.L
PR	IMV
LAE	FILIAE
QVA	RTIO
C.	P

Digitized by Google

Quartio, qui pater *Nipiae libertae*, et ipse libertus videtur *Nipiorum*. *L.* autem *Nipius Elegans* tituli prioris professione architectus proditur ex hoc titulo altero fundi eiusdem:

3.

ELEGANS ARCHITECTVS

'Ορτονιας. Hodie *Ortona a mare*, ut ab aliis sui cognominibus secernatur.

7. Τὸ ζονηον'Ιστανιω. Ita prorsus. Est autem ζονηον pro ζωνιον, quod est *cingulum*, *fascia*. Ergo τὸ ζωνιον'Ιστανιω, incolae circum Histonium sistentes. *Histonium*, nunc *Vasto*, an ita dictum, ab ἱστάω, quod illuc primo sedes fixerunt, qui eo graeci olim appulerunt?

8. Καὶ τω Ατερνω, καὶ Φοραντω, Αειμ... οι παντονομοι. De hac lacuna implenda hiscere non audeo. Tantum hic moneo: si de lapide fictitio res erat, ecquid sibi in voce hac decurtanda voluisset veterator, qui in itinere tam longo a via numquam deflexit? Αειμ.. oppidi nomen prae se fert mutilatum, quod quale fuerit, viderint alii.

Ατερνω. *Aternus*, nunc *Pescara*, fluminis una, oppidique nomen.

Φοραντω. Nunc *Pherentum* a *Phoranto*, frentanorum amne. An inde dicta *Frentanavilla*,

Digitized by Google

hodi e *Francavilla*, M. P. XIV. ab Anxano? Cum frentanorum *Pherento* minime confundenda, nec *humilis Ferenta* (sic eam nominat Hor atius) prope Venusiam, nec Hernicorum *Ferentinum*.

'Οι παντονομοι. De hac voce frustra lexicographos sollicites. Coalita autem est εκ τῶν παντοῦ, et νομοῦ. Νομοι heic est *plaga*, *terrae tractus*; Aegyptiisque olim νομοι fuere *provinciae*, *regiones*. Παντονομοι igitur *regionis incolae universi*.

9. Τό κοινον τας Κλυβας. Sic facile integranda vox haec postrema. Reddo: *Clibana*, vel *Cluviana* universitas. Et fortasse duplex distinguenda *Cluvia*, Samnitium una, de qua acceperim Frontini locum (1): *Clibes. Ager eius lege Iulia est assignatus. Finitur, sicut ager Bobianus*. Frentana altera ad dextram Viae Traianae, M. P. III. ab Anxano, cuius in marmore nostro iniecta mentio, et in quam consecutis temporibus deductam coloniam novimus ex figlina sequenti, quam debeo viro quondam amicissimo Ianuario Ravizzae:

---

(1) Script. Agr. pag. 125.

Digitized by Google

1.

MAX. FIG
COL. CLV

Maximi, vel *maxima figlina coloniae Cluviae*. Hoc eodem in loco anno 1744. lapis inventus, quem placet heic referre:

2.

D. M
FLAVIA.COMICE.FECIT
C.CAESIO.METRODORO
CONIVGI.BENE.MERENTI
CAESIA.METRODORA.FILIA.ET
L.CAESIVS.METRODORVS.L.CAESIVS
PROBVS.FILL.FECERVNT.PATRI.DVLCISSIMO
ET.SIBI.ET.SVIS.LIBERTIS.LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE.EORVM.H.M.D.M.A

10. Καὶ τᾶν Σαραντων Φεντριων. Recte *Sarantes Phentrii*, seu *Pentri*; non enim *Pentri* omnes *frentani*. Sarantes porro ita denominati a *Saro* flumine, quod nunc *Sangro*.

11. Καὶ Αυδων, Γιρυλων, Φισιων. Ex aere anxanensi mox producendo constat certissime, *Audum*, *Fisiumque*, ab anno ad minus aerae nostrae 165, Anxani conciliabulis fuisse accen-

Digitized by Google

sitos. Vtrum talis et ante haec tempora extiterit illorum conditio, ecquis certo praestiterit? Aes tale est:

ANXANVM	L D
EMP.FRENT	CONCILIAB
L.ARIO	FISIO EVSAN
ET.M.GAVIO	FELTRO ROTAE
COS	TILIO ET AV
	DO
	D D

Hi Consules an. V. C. 618. qui aerae vulgaris 165, non Servilius Pudens, et L. Cornelius Scipio Orfitus, uti contra Baronium recte Pagius statuit. Hac itaque tempestate conciliabulis sex, puta *Fisio*, *Eusano*, *Feltro*, *Rotae*, *Tilio*, et *Audo*, Decurionum anxanensium decreto, locus emporii frentanorum datus; mirandumque, de hoc senario conciliabulorum carcere Romanellium quadrigam solvisse Praefectorum annonae, quorum nomina forent *Fisius*, *Eusanus*, *Feltrus*, *Rotae* filius, et *Audus*. At in aere est *Tilio*, non *filio*, quod Romanellio in mentem venit. Et quando de conciliabulis incidit sermo, de his non abs re fuerit haec adnotare, quae viris doctis nota tirones facile fugere queant. *Conciliabulis* praeibant *Fora*, in quibus, nundinarum causa, coi-

Digitized by Google

bant agrestes. Pone sequebantur *Conciliabula*, quibus, uti et *Foris*, sui erant magistratus, qui ius dicerent. Coalescebant autem conciliabula e pagis pluribus, ut *Pagi* ipsi e pluribus *Vicis*. Omnibus *Oppida* anteibant, quae moenibus munita esse, oportebat (1). Nostra interea quod interest, cum in marmore anxanensi de *Audo*, *Giryli*, *Fisioque* luculenta sit mentio, eccur tria reliqua conciliabula tacita fuissent? Hac permoti ratione horum nominibus, quo opportunius visum, marmoris eiusdem hiatus aequavimus, quo demum illius facies integra fere posthac lectori obiiciatur. In singula nunc inquiramus nostri memores instituti.

Αυδων. Post *Gaudo*. Portus nominis eiusdem, ubi castrum, vulgo *S. Vito*.

Γιρυλων. Et locus is prisci nominis tenax, qui *Girolo* audit ab amne cognomine. Supersunt adhuc eius vestigia M. P. V. ab Anxano, ubi nunc *La serra*. Nec temere Γιρυλος hic frentanorum confundendus cum Brettiorum *Cerili*, qui passim in Itinerariis *Cerilla*, et *Carilla*.

Φισιων. Nec minus conciliabulum hoc veteris sui nominis tenax, nam hodie *Frisio*, et *Frisia*, rhotacismo tantum interposito. Distat ab An-

---

(1) Vid. Tab. Heracl. pag. 398.

xano M. P. II. Horum pleraque humaniter nobis per epistolas tradita abs Antonio Maranca, quo facile in eo agnoscas genus maternum ab Antistite doctissimo Antinorio deductum.

12. Φελτραν, Παντυταλιων Τρινιαν, και Τιλιαν. De *Feltro*, et *Tilio* occupata omnia num. praecedente. Παντυταλιων nomine eos omnes summatim insinuatos arbitror, cum indigenas, tum advenas, qui ad Trinium amnem notissimum incolebant, hodie *Trigno*. Υταλιον, quasi *Vitalion*, nam et *Italia* dicta *Vitalia*.

13. Παντῶν Σεναλων, καὶ Ρωτων. *Senelus* amnis, nunc vulgo *Senello*. Oritur ab radicibus montis, qui nunc *Montefarano*, inter montes, ut vocant, *Luparios*. De *Rota* dictum supra.

14. Παντες φιλοπατριδες. Oedipo non egent interprete.

15. Ανηαραν pro ανηραν. Δοριкῶς. Thema ἀναιρῶ. Aor. 1. Βυμα pro βημα (*aram*) frustra eris, si a lexicis expostules.

Delenda itaque prorsus, quae de voce hac alibi (1) parum felici alite coniecimus cum ἑκατομβης sacro, boviumque numero, queis omnibus nullus in marmore locus datur. Eodemque obelo

(1) Comm. XIII. pag. 49.

Digitized by Google

transadige, quae de voce *παντονομοιτο* (1) vano labore congessimus, quae bifariam dividenda, ut loco suo dictum est, hoc modo: *παντονομοι τὸ*. Dele item, quae de *Aetio* municipio *ατοπᾶς* sunt commemorata (2). Iure eodem utitor in vocem *ὁμονοια* (3), quam *ὁμονοιας* legi, restituique oportère, grammaticorum scito, monemur. Caeteris, brevitatis studio, parcimus, quae ipse per se lector amicus aequi, bonique faciet, postremas hasce *φροντιδας* cum anterioribus omnibus conferens.

§. III.

TITVLI QVIDAM ALII EXTRA ORDINEM.

Delatum item ad nos funebre hoc *ἀντίγραφον* exceptum de lapide infra oppidulum M. P. IX. ab Anxano ad *Sagri* ripam, cui suppetias afferre qualescunque, curae fuit. Oppiduli nomen *Pizzoferrato*.

---

(1) Ibid. pag. 44.
(2) Ibid. pag. 43. n. 3.
(3) Ibid. pag. 38. n. 1.

Digitized by Google

F. C
ANNORVM. 35. *Filio*
ANNORVM. XI. *a Parenti*
BV. *s.* SVVIS. DVLCISSI.*mis*
HOC. PVERO. NIHIL. FVIT. *carius. Mors impi*
A. ERIPVIT. A. PARENTIBVS
MARIA. C. F. SITA
A. XXIII. *v. in coniugio*

Quorsum evaserit linea haec postrema, si *feminae clarissimae* anni iam a primo versiculo fuerant numerati, prorsus non video. An in versu ultimo anni ab inito coniugio designantur? Hoc in casu annorum numerus secundae linea ad minus XXXV. fuerit, necesse erit. Profecto epigrammatis totius tenor singularis est. Hoc certum videtur, monumentum ad gentem *Mariam* esse referendum. Singularias F. C. habeo pro *femina clarissima*, quod plane quadrat *Mariae*, *C. filiae*. De praenomine filii siletur, quod facile intelligitur idem fuisse cum paterno. Formula *vixit in coniugio* minime insolens. Vid. Gruter. (1) Quod ideo moneo, ne quod infrequens, continuo pro falso, dubiove habeatur. Idem aio de tituli capite, quod incipit ab initialibus F. C., quod similis generis exemplis minime caret. Exscripsit

(1) Pag. 782. n. 6.

Digitized by Google

Carabba noster saepe laudatus, et cui in his plurimum nos debere fatemur.

Hae curae nostrae novissimae in marmor anxanense nobilissimum una, ac vetustissimum, ad quarum amussim exacta, castigataque omnia volumus, quae huc usque in rem eamdem pro re nata elucubravimus (1). Ex quo quivis facile intelligat, quam alte olim Italicorum omnium animis insederit avitae libertatis studium, alienaeque dominationis detestatio. Inde profecta sine dubitatione patrum nostrorum in romanos odia acerbissima, mutuaeque omnium ore celebratae clades. Hinc Caudinarum fama furcularum, et dira *linteatae legionis* exempla, bellique demum omnium funestissimi incendium, quod Hirpini in primis cum Nolanis, fere cum nominis sui excidio, ad extremum usque ferociter sunt prosecuti.

In opere Historico MS. Viti Capriolii ἀντιγραφον prostat constitutionis pascuariae frentanorum sarinatium, cuius duplex ad nos delatum exemplar, primum Ambrosii Carabbae, alterum e Polydori, V. C. penu exceptum. Ἀυτογραφον ad laevam Tiferni ripam effossum narratur non procul ab eiusdem ostio. In pluribus tamen imminutum mar-

(1) Comm. XIII. cum duplici *Mantissa*.

mor erat; quod et ineditum arbitramur; eaque de causa, collato inter se utroque exemplari, et opportunis adnotationibus, quoad per vires licuit, exponendum curavimus. Ad Theodorici regis aetatem retulerim sub initium seculi sexti, quod et Cassiodorus noster fortasse conceperit. Sed de his liberum lectoribus esto sive iudicium, sive arbitrium. Virgulae, punctaque, quae nulla in exemplaribus, per nos addita, ne festinanti lectori mora fiat. Ecce illud:

AD PRINCIPIS IVSTITIAM PERTINET,OMN..em tollere que-
RELAM,MAXIME VBI DE PVBLICO ET PRIVAT..O agitur,
INOLITA RENOVARE MANDATA,SI..oportet,et indulgere,
ut possint
GAVDERE. *b*. EN. *e*. FICIO MVTATIONIS.. si utile sit pro
VICISSITVDINE PROPI COMM.. eatus caularum,
QVAE INTIMIVS HAVENTES INPE.. dimenta per loca im-
PORTVNA,ET NECESSARIA CONSTITVTIONE..egent,pro tem-
PORE, PER LOCA PRAEFIGENDO CANCELLARI.NRI AVC.. tori-
tatem.
PROFESSI PECVARIA,REGALI DERELICTO TRANSITV..bre-
VIO. *ri*. ARBITRALI DIRECTIONE, TRANSFERRE..possint lo-
cos in-
TRA DESIGNATOS, ET STATIONALES CAL.. les, et aesti-
VAM PASTVRAM, VEL MANSIONEM FACERE..Qui propri-
VM NVMERVM PROFESSI, AVGERE PECO..ra innotescunt,
DIPLOMATIS ANNOTATIONEM EXHIBEN..dam curent,

Digitized by Google

VEL INVENTA RATIONE DEFENDET..Si constet, frau-
DE, ET DOLO FACTVM, PENALI SCIANT..se fore multa
PVNIENDOS. PRAECIPIMVS COQVE..ut haec nra pasc-
VALIS CONSTITVTIO, QV..am consentaneam ducimus a-
EQVITATI, ET BONI PVBL..ici rationibus, ab omni-
BVS INVIOLATA SER.. vetur
SIS BENE.. COM. . . .
PVBLICI. .
TVR. . .
S. .

Duplex constitutionis huius caput: altero *inolita renovantur mandata de pecuariorum professione* observanda; altero *mutationis beneficium* conceditur, quo in gregibus transferendis, *regali derelicto transitu* (vulgo *tratturo*), conductores per loca opportuna, et breviora utantur *arbitrali directione*. Dum vero *arbitralem* audis, ne cogites de privatorum dumtaxat, sed et de publicis quoque arbitris.

V. 5. PROPI. Vox breviata=*propositi.*

V. 6. QVAE INTIMIVS, in locis pascuariis penitioribus, adeoque difficilioribus HAVENTES INPE*dimenta*. Impedimentorum nomine venit quidquid supellectilis est in gregis, pastorumque usum necessariae. A re militari vox mutuata, cui *impedimenta* (vulgo *bagaglie*) pastorali idiomate *Buttorerìa*.

Digitized by Google

V. 8. PER LOCA PRAEFIGENDO CANCELLARI. nostri auctoritatem. *Cancellarii* sic dicti a *cancellis*, iidem, ac *Scribae*, quorum partes erant, diplomata conficere, subscribere, regioque consignare sigillo (1). Ergo *cancellarii auctoritas praefigenda per loca* erat cancellarii subscriptio cum regio apposito sigillo. His servatis, licebat conductoribus, transferre pecora intra loca designata, *arbitrali directione*, et *calles stationales*, addito iure iisdem in locis pascendi per aestatem, precarioque *manendi*, nocturno in primis tempore.

Alterum constitutionis caput est de fide servanda numeri pecuariorum professorum (*la rivela*), quem numerum si quis excessisse deprehenderetur, *diplomatis annotationem* exhibere cogebatur, qua nempe palam esset, numerum ante professum, nunc auctum ad iuris formam. *Annotationem* idcirco intelligo superadditionem factam *notationi priori* cancellarii auctoritate. At augeri numerus professus potuerat, etiam sine cancellarii annotatione, casu aliquo sine culpa, et fraude. Haec vis verborum: *vel inventa ratione defendent*, idest, culpae, et fraudis invidiam depellent. Quod nisi praestiterint, evicerintque, sciant, se graviore poena, quam ante, plectendos. Caetera nullam faciunt moram.

---

(1) Vid. du Cange ad voc. *Cancell.*

65559

Digitized by Google

AVCTORIS OPERA OMNIA HACTENVS EDITA, PROXIMEQVE EDENDA.

EDITA.

1. Ricerche sull' antica Città di Eclano. In 4. . 3 00
2. Illustrazione dell' antica campagna Taurasina con Lettera Apologetica di risposta. In 4. 70
3. *In Veter. Monum. nonnulla Comm.* E sono 18 di numero in Tomi 2 in 8. . . . . 3 40
4. Fasti IIvirali di Pompei con Appendice. In 8. 70
5. Valore della cifra *sexs* in marmo Pompejano. Consoli voluti Municipali, e lettere apologetiche di risposta. In 8 35
6. Illustrazione apologetica del marmo Puteolano *a Colonia deducta*, con Dissert. 2. l' una sul *Calcidico*, l' altra su di un *Bronzo Pompejano* rappresentante il piccolo *Caligula*. In 8. 50
7. Congetture su di un *Intonaco pompejano* rappresentante Arianna, e Bacco con lettere due di risposta. In 4. 30
8. Alcuni suggelli antichi spiegati con appendice, ed un' altra Dissertazione aggiunta. In 8. . . 40
9. *Prosod. Latinae fundam. cum Parnasso lapidario.* In 8. grande. 50
10. *Dialecticae Institutiones.* In 12. 25
11. Analisi di alcune nozioni preliminari al Dritto di Natura. In 8. 30
12. Analisi, e costruzione gramaticale. In 8. . . 12
13. *In Cippum Osco-abellanum divinatio.* In 8 . 40
14. *In Epigrammata quaedam Osca. Exercitatio.* In 4. 24

Digitized by Google

15. *In Comm. V. suum Auctoris excursus.* In 8. 20
16. Pergamene due Eclanesi, l'una della invenzione del corpo di S. Prisco Conf. l'altra di un antico *Exultet*, in un così detto *Rotolo*, con sette rami. In 4 70
17. *Nupera quaedam Osca cum auctar. in marmor Anxan.* In 8. 20
18. *Comm.* IX. et XVII. in melius *recusa.* In 8. 40
19. Alcuni tegoli spiegati del Museo Borbonico. In 8. 10
20. *Lithopolemos.* In 8. 20
21. *Musarum ostia honesta.* In 8. 45
22. Saggio di Discorsi Panegir. e Morali. 30
23. Se il religioso scolarizzato possa acquistare, e disporre dell' acquistato. In 8. 10
24. Effetti fisici dell'uso del pane e vino consagrati. In 8. 10
25. Origine del culto di S. Maria dell' Arco. . .
26. Cenno biografico con Iscrizioni pel Cav. Zingarelli. In 8. 10

PROXIME EDENDA.

1. *Pompejana*, *Farnesiana*, *Rorgiana*, *Puteolana*, *Beneventana excerpta.* Comm. In 4. . .
2. Appendice alla dissertazione sul valore della cifra sexs. In 8. . . . .
3. Novello monumento di Baja con altri de' dintorni. In 4. . . . .
4. Alcuni titoli del così detto *Vallo* di *Diano* corretti, e spiegati. In 4. . . . .

Digitized by Google





Digitized by Google



Digitized by Google